

« rerum omnium ineffabilem Creatorem obtestor, nos pro veritate [a] tuenda, pro iu-
 « stitia conservanda, hodie pati adversa, quae inimici nostri contra iuramentum pro-
 « missum, contra fas et licitum, nobis inferre laborant. Nam comes Bertoldus nos,
 « ut veros [b] imperatoris fideles, fovere tenetur [c]; Ravennates, Forolivienses in-
 « dissolubili amicitiae vinculo sunt nobis astricti recenter; comes Guido, montanarii
 « nostri, Bagnacaballenses huic civitati, tamquam matri, tenentur quam plurimum.
 « Sed aderit in proximo iudex dequissimus, pro gestis cuiuslibet meritum [d] redditu-
 « rus. Sub vexillo principis ausi sunt Ravennates vestrum intrare districtum; qui
 « quondam in lare proprio, vestra tremebant fortia facta. Forolivienses, more asinino
 « pellem induti [e] leonis, nostras nituntur arbores decorticare; quos profecto ex
 « propriis sedibus decerpere consuevimus olim. Hos omnes huc duxit non virtus pro-
 « pria, sed revenella^{o*} imperialis audacia [f]; quos per Deum, tanto absente^o leone [g],
 « nullus, Deo excepto, de vestris quiverit liberare fremitibus. Vestram igitur cives
 « ad diem ultionis, qui erit in proximo, cum viribus servate audaciam, quando illis
 « a vobis tribuetur [h] pro meritis. Ardore profecto nocendi, quasi veneno [i] inebriati
 « mortifero, venient quousque nobis placuerit. Sed vobis visis, cunctas procul dubio
 « vires amittent. Nam hos caecabunt [j] cum iniquitate periuria [k]; illos impedit cum
 « fraude conscientia cauteriata [l]. Omnes praeterea vestros fortissimos ictus verentes
 « pedes ad fugam parabunt. Tunc vobis posse aderit, Christo iubente, omnibus vicem
 « pro meritis reddere. ^{sed deum} si Dominum semper [m] habeatis praese oculis, irae cohibentes
 « fervorem more leonis; tunc vestrae victoriae gloria divulgabitur a mari usque ad
 « mare, a flumine isto usque ad flumen orbis terrarum.

Haec ubi dat dicta, clamabant omnes [n]: ut jubes, sic faciemus. Videntes Raven-
 nates Faventinos quasi nil curare de incisione arborum ac vinearum, cum nihil sa-
 tis festinetur cupienti animo mercede magna promissione maxima, Bertoldum [o]
 et alios exercitus principes acciunt ad bella [p], ut saltem cunctos praeliando possent
 capere, et in ore gladii ex toto destruere [q]. Tunc iubet [r] Comes omnes de exercitu
 connumerari et cuncta, quae ad tale praelium necessaria erant, optime praeparari
 [s]. Inventi sunt quidem pugnantes quasi quatuor millia [t] equitum, et LX millia
 peditum [u]. Anno Domini MCLXXXV, vigesimo itaque die mensis Junii, summo mane

[a] nos pro veritate, Codd. V. et M.; legi potest etiam, vos. Quidam legit: ac, pro nos. — [b] Ber-
 toldus nos ut veros. Sic C. M.; Bertoldus nos non nostros, C. V. — [c] fovere tenetur, Codd. V. et M.
 Alii habent, levare tenetur. — [d] pro gestis cuiuslibet meritum, C. M.; pro gestis cuilibet meritum, C.
 V. — [e] pellem induti, lego; pellem inducti, Codd. habent. — [f] revenella imperialis audacia, C. M.
 In C. V., Ravenella imperialis audacia; Cl. Mitt. legendum putat: reverenda imperialis audacia. An potius
 per jocum ab auctore, imperialis audacia Ravennatum vocatur Ravenella? — [g] tanto absente leone. Sic
 lego. Subintellige Friderico. In C. M., tanto ascense leone; in C. V., deest absente. Cl. Mitt. legit: tanto
 ascenso leone. — [h] illis a vobis tribuetur. Sic lego. C. V. habet: ille a nobis tribuetur. Pro illis, Cl. Mitt.
 habet, illa. — [i] nocendi quasi veneno. Sic C. M. et Cl. Mitt. In C. V., nocendi, qui venere. — [j] caeca-
 bunt. Codd. M. et V. legunt, excaecabunt. — [k] cum iniquitate periuria, C. M. In C. V., cum iniquitate
 per vitia. — [l] conscientia cauteriata. Sic Codd. Forte legendum, conscientia contaminata. — [m] si
 Dominum semper. Sic legit Cl. Mitt. In C. V., scilicet dominum semper; sicque etiam legi potest: sed
 tunc non ponatur punctum, sed coma tantum, ante vocem scilicet. — [n] clamabant omnes, C. M.; cla-
 mant omnes, C. V. — [o] Bertoldum. Sic C. M.; Bertoldum, C. V. — [p] acciunt ad bella. Sic lego; nam
 in C. M., est acciunt; in C. V., accurrunt ad bella. — [q] cunctos praeliando possent capere, et in ore
 gladii ex toto destruere. Sic lego. In C. V., cunctos praeliando possent capi, et in ore gladii ex toto des-
 trui. Pro ex toto, legit quidam, exercitu. — [r] Tunc iubet. Sic ex Cod. V. — [s] quae ad tale praelium
 necessaria erant, optime praeparari, C. M. In C. V., quae ad tale praelium sunt necessaria, erant optime
 praeparata. — [t] quasi quatuor millia, C. M. In C. V., deest, quasi. — [u] et LX millia peditum, C.
 M. In C. V., et sexaginta millia peditum.